¶ Incipiunt moraliſationes ſup̄ Johannem ·

¶ Capitulum p̄mum · ¶ A

Iohannes
euangeli
ſta q̄ iter
euangeli
ſtas vlti
mo ſcrip
ſit euāge
liū · aliq̄d
ſupaddit
de factis et operibus ſaluatoris q̄
alij obmiſerunt De iſtis ergo aliq̄
breuiter ponaz et modo huic ope
ri ſcdm capitula ī quibz hui⁹ mōi
ſunt inſeraz et adiungā · Ergo hic
capitulo ſcdo fit mētio · q xp̄c cū
ad nuptias que facte ſunt in cana
galilee cū matre eius eſſet vocat⁹ ·
et vinū defecaſſet · hoc curabat ma
ter eius ſibi dicere · ad finem illū
vt facto miraculo poſſz ſponſi ve
recundiā opire · dicens vinū n̄ ha
bent · Xp̄c vero ſibi ſatis dure reſ
pōdiſſe videtur dicens · Quid mi
chi et tibi eſt mulier · Verūptamē
reſponſionē durā p facti ſequen
tis dulcedinez temꝑauit · Sex em̄
ydrias lapideas in loco poſitas · ꝯ
ſcdm purificationē iudeorū ordia
tas aqua īpleri iuſſit · aquā mox
in vinum conuertēs architriclino ꝯ
hijs q̄ erāt in nuptijs, ꝓpinari mā
dauit · q̄ vt guſtaſſet aquā vinuz
factā · ſponſuz vocans et arguēs
melius vinum vſq3 in finez ſeruaſ
ſe narrauit · dicens Omnis homo
bonum vinum p̄mo ponit · et cuz
inebriati fuerint · illud quod deteri
us ē · tu autez ſeruaſti bonuz vinū
vſq3 adhuc · Iohā · ij · ¶ Mor ¶
Nuptie iſte ſignant gaudium et
ꝓſperitatem mundanā · que nup
tie bene in galilea que īterpretatur
tranſmigratio facte dicuntur · ꝓ
eo q omne mūdanū gaudiuz traſ
migrans et trāſitoriū reperitur Ad
iſtas tamē nuptias vocatur quā
doq3 tam xp̄c q̄ꝫ maria · inq̄tū illi
qui mūdi gaudia celebrāt hoc ſi
ne peccato et cū bona intentione ·
et cū aliq̄lis cōtritionis et amaritu
dinis conſideratione facere ſtudēt
et ſic ihēſuz et mariam ꝑculdubio
ſecū habent · Ihēſus em̄ bonā iten
tionem ſignat · maria autez diſci
pline amaritudinem ſignat · ſup̄ ·
Lu · ij · Inuenerūt puerum cū ma
ria matre eius · Quid ergo? ꝑcer
to vinū perfecte cōſolationis ſibi
deficit · q3 ſcz nullum poteſt eē ita
magnum gaudiū tpale vbi perfcā
conſolatio ſit · vinū inq̄t nō habēt
q3 ōmibus cōſideratis ſemp eſt pl⁹
inuenire de amaro q̄ꝫ de dulci · et
de aq̄ q̄ꝫ de vino · et de t̄bulatione
q̄ꝫ de gaudio in nuptijs et ꝓſpēi
tatibus huius mūdi · Pſa · xxiij ·
Cū cātico nō bibent vinum amara
erit potio bibentibus illam · Sed
ꝑcerto domin⁹ precepit miniſtris
huius cōuiuij.i.mundane ꝓſperi
tatis ſectatoribus · q ydrias lapi
deas.i.corda ſua dura et indeuota
primo aqua compunctiōis imple
ant · et q p̄mo fletibus et lacrimis
culpas lauent · et tunc finaliter
dominus de aqua iſta vinum fa
ciet · inquantum ſuam amaram

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

cõpunctõnem in dulcedinem eter
ne conſolationis conuertet Aqua
enim vinum efficitur quando pn̄s
lacrimoſa ɔpunctõ in vinū qđ letifi
cat cor hõminis .i. eterne conſolati
onis gaudium cõmutatur. Mat.
v. Beati qui lugēt quoniam ipſi
conſolabuntur. Nullus enim cõui
ua preſentium nuptiarum .i. mun
di leticiarum vinū futurē cõſolatio
nis poterit obtinē n̄ p̄mo aquam
lacrimarum ſtudeat ĩ hoc ſeculo poſ
ſidere. Quilibet ergo cõuiua preſē
tium gaudiorum aquam ɔpunctõ
nis ĩ ydria cordis habeat. et q̄uis
gaudeat exteri⁹ ĩte⁹ fleat. alioq̄n
vinuȝ eterne cõſolatiōis ĩpoſterȝ
vane ſpeāt. quia alioquin ſibi di
cetur finaliter illud. Iohel p̄mo.
Vlulate qui bibitis vinū in dulce
dine quoniā perijt ab ore veſtro.
b ¶ Vel dic q̄ cõuiuiū et nup
tie ad quas vocantur xp̄c et eius
diſcipuli ſignāt ſtatum paupertaȝ
vbi q̄a vinum .i. terrena cõſolatio
ſepe deficit. ydrie lapidee ſex .i. ſex
miſericordie opeā in q̄bus iudei .i.
deum confitentes ſcȝ fideles purifi
cantur debent iſtū defectū ſupplē.
et aquam bonoȝ tpaliuȝ in vinū
cõſolationis in recreationē et r̄fe
ctionem pauperum et conuiuarū
cõmutare. vt ſic architriclinus .i.
deus pater inde poſſit p̲ conplacē
tiam r̄fice et guſtare. c ¶ Vel
dic q̄ iſte ydrie ſignāt diuites. q̄
vt cõmuniter ſunt lapidei atq̄ȝ du
ri. q̄ dicuntur tenere metretas bi
nas vel ternas in q̄tū duo p̄cepta
caritatis et fidem ſācte trinitatis
debent ſeruarē. ſex etiā ſunt in q̄tū
ſex opa miſericordie debent pficere et implere. Iſti ergo quotiens
vident pauperibus vinū tēporal'
conſolationis deficere. debent ipſi
aquis aliene miſerie repleri per ɔ
paſſionē. et in vinuȝ conſolatiõis
ipſas vertere per elemoſinarū ſb
uentionē. et ſic hoc vinum ab ar
chitriclino .i. a deo cõmendabitur p̲
acceptionē et approbationē. pū.
xxxi. Da ſiceram merentibus et vi
num hijs qui amaro ſūt animo.
d ¶ Vel dic q̄ architriclinus ſig
nat mundū et mūdi p̄ncipes ſ' di
uites q̄bus videtur q̄ bonū vinū
debet preponi dicentes illud quod
deterius eſt apponi. quia apđ eos
meliora iudicantur p̄ſentia q̄ fu
turā. bona tēporalia q̄ eterna. qđ
veȝ eſt inter peccatoēs. q̄a modo
bibūt in hoc ſeculo bonum vinuȝ
.i. proſperitatem et gaudiuȝ. ſed
poſtq̄ hic fuerint inebriati ditati
et impinguati et repleti. tunc appo
netūr eis illud vinum quod eſt de
terius ſcȝ eternū ſuppliciū et tormē
tum. q̄n erit fel draconū vinū eoȝ
et venenū aſpidū ꝛc. e

Cum xp̄c quadā die inueniſſȝ
in templo vendētes oues bo
ues colūbas nūmularios ſedētes
legitur flagellū de funiculis feciſſe
et nūmulariorū es effudiſſe dicēs
Auferte iſta hinc. et nolite facere
domū patris mei domū negotiacõ
nis. et ſicut dicit. Mar. iſtđ dixit
Scriptū eſt dom⁹ mea dom⁹ orati
onis vocabitur. vos autē feciſtis eā
ſpelūcā latronū. Que verba ſūp
ta ſunt a duobus ꝓphetis. Yſaie.
lvi. dicitur. Dom⁹ mea dom⁹ ora
tionis vocabitur. Iē. vij. addit. Er
go ſpelūca latronū facta eſt dom⁹

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

iſta· ¶ Mor ¶ Tēplū ſigt
eccleſiam· boues ſignāt laborē bo
ne operatiōis et p̄dicationis· oues
ſignant ſimplicitatē honeſte et hu
milis ꝯuerſationis· colūbe ſpūs ſā
cti gratiam ſeu ſacͣmentalis ꝯmu
nionis· nūmularij ſignant ſectato
res auaricie et agricultores tpalis
ſbſtātie et poſſeſſionis· Cū ergo in
templo ecc̄ie ſūt aliq̄ q̄ vendūt bo
ues.i. laborem bonoꝝ operū et fa
ciunt agriculturā predicationis ꝓ
ſpe tpalis retributionis· Aliqui
q̄ vendunt oues.i. p ypocriſiꝫ ſb ſpe
glorie mundaē ſimplicitaē et humi
litē viuunt· Aliqui qui vēdunt co
lūbas.i. q̄ grāꝫ ſpūs ſācti et eccle
ſie ſacramēta officia et beneficia
ꝓ tpali mercede offerunt· Aliqui
nūmularij.i. aliqui auari qui ſolū
lucris et pecunijs intēdunt· ideo
xp̄c flagello ſue ſeuere iuſticiaē per
mortē tpalē et eťnam illos ⁊ eoꝝ
ſeq̄ces de tēplo eccleſie eiciet· es ⁊
pecuniam ipſoꝝ auarorū diſper
det· cathedras vēdētiū colūbas .i.
ſtatus et dignitates ſymoniacoꝝ
ſubuertet· Nō vult enī ꝙ domus
patris ſui que eſt eccleſia efficiaē
domus negotiacōnis· nec ꝙ illa
que domus orationis eſſe debueāt
ſpelūca latronū ſeu habitaculum
malorū hominū nominet· Omne
enī turpe lucrū exinde ꝯpit aufer
ri· et ante omnia ſecularia negoci
a· nec nō vana opa ſimoniaca et
ypocrītica ſcelera ſubmoueri dicēs
Auferte iſta hinc· Et breuiť iſta ē
vēitas· ꝙ cathedre.i. officia et dig
nitates illoꝝ qui in tēplo eccleſie
vendūt colūbas.i. ſimoniacorū q̄
vendūt ſpūalia· a deo ſubuertūt

et in proſperitate manere nulla
tenus permittūtur· ſed ā deponūť
ā infortunijs affligūtur· Oſee· ix
Propter maliciā adinuētionū ip
ſoꝝ de domo mea eiciā eam· Num
mulārioꝝ etiā qui ſunt ibi .i. auā
roꝝ eccleſiaſticoꝝ es a domino effun
ditur· incͥ̄tū poſt mortem taliū
diuitie ipſoꝝ a q̄buſdā rapiuntur
et ptim a parentibus ptiꝫ a fami
liaribus ptim a latronibꝫ diſper
guntur· ita ꝙ ꝓ aīma ſua de qua
dū viuerēt cogitaē noluerūt nec
miſſe nec elemoſine pagūtur· qui
poteſt capere capiat·

¶ Capitulū ſecundū ¶ A

ILlud quod ponitur de
fatigatione domini ſu
per fontem iacob cum
vellet ire in ciuitatem
ſamarie que dicitur ſychar· ⁊ q̄uo
mulieri ſamaritane q̄ veniebat ad
hauriendū aquā predicauit Et ꝙ
quinq̄ viros habueāt ſibi dixit· ⁊
eam et mľtos alios per eā ad ſe cō
uertit· quia iſta conciues ſuos ad
ihesum vocauit et adduxit· ⁊ q̄uo
mirantes apoſtolos ꝙ cum mulie
re loqueretur in meſſem alienam
miſit ſicut diffinitiue hic ponit
Johannis· iiij ¶ Mor ¶ Exponitur
per doctores de gētilitate que a pri
cipio quinq̄ viros.i. quinq̄ ſēſus
naturales habuit· ſed ipſis mortu
is et corruptis alteri viro qui non
fuit vir ſed fornicariꝰ ſcꝫ dyabolo
per ydolatriam adheſit Quīq̄ igť
viros habuiſti et quem modo ha
bes non eſt tuus vir· Que tan
dem ad criſtum qui ad ciuitatem

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ſychar i mundum venerat et in i
firmitate carnis aſſūpte q̄ſi fatiga
tus ſedebat ⁊ a de fonte ſue miſeri
cordie aquā venie receptuā p fidē
venit· que ſalutē et conuerſionē
retulit· et non ſoluʒ ſui· ſed et mł
torū quos ad criſti fidē ꝯuocauit
et cottidie ꝯuocat et ꝯuocare nō
ceſſat·

¶ Capitulum tercium. ‖ E

Erat i iheruſalem ꝓba
tica piſcina quinq̄ porti
cus habens · circa quaʒ
iacebat multitudo mag
na languentiū cecoꝝ claudoꝝ ari
dorum expectantium aque motuʒ ·
Angelus enī domini ſcd̄m tēpus
deſcendebat in piſcinā et aquam
ipſius mouebat · et tunc q̄ prius
aquā intrabat quacumq̄ infirmita
te teneretur continuo ſanꝰ fiebat
Cū ergo inter alios eſſet ibi vnꝰ q̄
xxxviii· ānis ī ſua infirmitate detē
tꝰ iacebat in grabato· nec ſanari po
tuerat· ꝑ eo ꝙ quādo aqua moue
batur nullū habebat hominē q̄ ip
ſū poneret i piſcina · ſed q̄n venirē
volebat ipſū alius p̄cedebat et ſic
ꝓpter portatoꝝ defectū retro alios
infirmus et lāguidus manebat ·
et alius p̄currens ſanitatis bene
ficium reportabat · dominus ſibi
miſertus ipſum ſanabat· · et gra
batum ſuū tollere ſibi preceperat
Surge inquit tolle grabatū tuuʒ
et ambula· ſtatim factus ē homo
ſanus· ⁊ ſubiunxit dominꝰ dicēs
Ecce ſanus factus es iaʒ noli pec
care· ne deterius tibi ꝯtingat· Io

v· De iſta aūt ꝓbatica piſcina· i q̄
nathinei ſeruitores tēpli hoſtias
lauabant · ponit petrus comeſtor
ꝙ aliqui dixerunt reginam ſaba
oſtendiſſe lignum ſalomoni i quo
debebat homo ſuſpendi· ꝓpter cu
ius mortem iudei perderent regnū
ſuuʒ· quo audito illud lignū ſepe
liuit in ꝓfundū· Sed tandē ꝓbati
ca piſcina facta eſt in eodeʒ loco ·
Appropinquāte ergo dominica paſſi
one lignū illud incipiebat ſurgē·
et a motu ſuo aquā piſcine agita
re· ‖ Mor ¶ · Iſta piſcina poteſt
ſignare ſacra ſcripturā q̄ quinq̄
porticus habere dicit· ꝑ eo ꝙ i ip
ſā pet̄ quinq̄ libros moyſi ſubintra
tur. vocabatur etiā bethſaida· q̄ i
terpretatur domꝰ frugū · domus
pecudū· domus venatoꝝ· q̄z ſacra
ſcriptura ē domus et repoſitoriuʒ
frugum .i. diuinoruʒ ſacramētoꝝ
et documentorū· pecuduʒ .i. ſimpli
ciū et imperfectorū · venatorū .i. doc
torū predicatorū ſapiētū· Job· in
Ibi ꝯſtituta eſt domꝰ omni viuē
ti· Circa iſtā piſcinā multi ſūt lan
guētes .i. multi veritatē ſciētie de
ſiderantes et ſanari ab ignorātia
cupientes· ſed reuera ad hoc ꝙ i
firmi et ſimplices poſſint ibi ſana
ri .i. in ſcripturarum codicibus in
formari· neceſſe eſt ꝙ angelus .i.
diuina inſpiratio vel bonꝰ doctor
deſcēdat de celo· qui aquam ſcrip
ture ſacrē moueat et exponat· ſi
ne angelo enim .i. ſine doctore infir
mitas ignorantie in hac piſcina
non ſanatur· n̄i forte xp̄c p ſeipſū
hominē ſanet et p reuelationem
ſibi ſecreta ſua maīfeſtare dignet̄
Marci decimo ſexto· Angelus dn̄i

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

deſcendit de celo et accedens euol
uit lapidem ¶ B ¶ Vel dic ꝙ iſta
piſcina ſignat penitentiā circa quā
multitudo lāguentium peccatoꝝ
ſperat intrare Quia illi qui ſunt
ceci per ignorantiam · claudi per
iniuſticiā · aridi ꝑ inuidiā q̄ exſic
cat oſſa ſperāt finalit̄ per penitēti
aꝫ ſe saluare · Iſta eſt q̄ dicitur beth
ſaida domus frugū · qꝛ fruges vir
tutum ibi colliguntur · domus pe
cudum qꝛ ſimplices qui hoſtiē om̄
ſūt ibi ſacerdotibꝰ ꝯfitēdo offerū
tur · domꝰ venatoꝝ .i. pctōꝝ · qꝛ ip
ſi venatores ibi finaliter ſe abluē
optāt Et ſic breuit̄ iſta ē domꝰ ꝯ
munis q̄ quinqꝫ hēt porticꝰ ingtū
oīs qui quinqꝫ peccant ſenſibus
in iſtā ſperāt intrare et ad iſtā con
fluere ꝓbāt · vn̄ illō dcm̄ · Job
xxo · Ibi cōſtituta eſt domus om̄
viuenti · et omnia flumina itrāt
mare · Eccleſiaſtes .i. Sed ꝓ certo
niſi angelus interueniat .i. n̄ dei mi
ſericordia intcedat · q̄ i piſcina pe
nitētie aquaꝫ ꝯpūctiōis moueat ·
tal' infirmꝰ et penitēs ꝓnichilo la
borāt · ſolꝰ em̄ motꝰ aq̄ .i. ſolꝰ ꝯpū
ctōis actꝰ pccōrꝫ ſpūalit̄ ſanat
Veruptamē non excluditur qui
quandoqꝫ dominꝰ ſine peītētia ali
quos liberet ſicut apparuit i pau
lo · ſolo em̄ verbo ſolaqꝫ inſpirati
one pt̄ hominē liberare et abſqꝫ pei
tentia a criminibus expiare · vn̄ · Ro
xxo Arbitramur iuſtificare hoīnē
ſine operibus · qꝛ aliq̄ ſūt q̄ ꝑ peni
tentiam ſicut ꝑ viam iuris cōmu
nis ſaluantur · aliq̄ vero ꝑ ſolam
dei gratiaꝫ ſpūalē ſicut ꝑ ꝓuilegi
um ſanātur · ita ꝙ cū ipſis q̄ſi ex
ꝓuilegio diſpenſatur · Ro · nono

Miſerator cū voluero · Surge igitur tol
le grabatū tuū et ambula Eſt em̄ gra
batū lectꝰ pauperꝝ q̄ ſignat pccm̄
qꝛ hō · q̄n̄ ꝑ ꝯtritionē ſurgit et ꝑ ꝯ
feſſionē grabatū pcc̄a tollit · et ꝑ
bō opa incedit tunc ſanus a pccō
recedit · veruptamē non debet am
plius peccare ne ꝓpter ingratitu
dinem ipſum ꝯtingat deterius ſu
ſtinere · Jo · viii · Vade et amplꝰ
noli peccare · ¶ C ¶ Vel dic ꝙ
multi ſimul currebant ad piſcinaꝫ
vnꝰ ſolūmodo ſanabatur · qꝛ dato
ꝙ oēs fideles ad penitentiaꝫ gene
raliter currant pauci tamē ſalutē
reportant · q̄a dicitur .i. Cor · nono
Oēs quidē currunt ſ; vnus accipit
brauiū · Multi ſūt vocati pauci vero
electi · Math · xx · Vel dic quomodo
diligentia valde eſt ꝓficua q̄a qui
eſt magis diligens ad piſcinaꝫ in
trandum aut aliquod opus bonū
pagendū · debet eſſe prior ad pre
miū · et q̄ alios ꝓuenit currendo
ipſos quo ad ſanitatē vel lucrū
precedet ¶ Vel dic ꝙ iſti languen
tes ſignant illos qui ſunt in pur
gatorio qui piſcinaꝫ paradyſi ingre
diuntur · ſcd̄m ꝙ aqua diuine mi
ſericordie ad indulgendum moue
tur · ſcd̄m ꝙ ab angelo .i. a deo or
dinatur · ſed q̄d̄ reuera q̄daꝫ ibidē
ꝑ longa tempora ſunt in miſeria
et languore · quia non habent hō
minē qui eos ibi mittat .i. qui pro
eis intercedat vel opera ſatiſfacto
ria faciat · a ſic oportet ꝙ languor
a dolor diuꝰ i purgatorio ꝑſeue
ret quouſqꝫ veniat dn̄s q̄ ipos li
beret atqꝫ ſoluat · Dn̄e igit n̄ habeo
hoīnē rc̄ · Vnde qui ſic i purgato
rio languēt poſſūt de ſuis amicis

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

cõquerĩ dicendo illud ·ps· Amici
mei ⁊ ꝓximi mei aduerſũ me ap-
pinquauerũt et ſteterũt· Et q̄ iux-
ta me erãt de lõge ſteterũt· ¶ E
¶ Vel dic moꝛaliter q̄ piſcina ē mẽs
cuius quinq; porticꝰ ſunt quinq;
ſenſus· circa quos multi ſunt lan-
guẽtes.i.multi affectꝰ et appetitꝰ
vitioꝝ languoꝛe toꝛpẽtes· iſti ſpi-
ritualr̄ nõ ſanãtur nec ad virtu-
tũ tẽperantiã reducũtur niſi ante
õnia aqua cõpũctionis ab anglo
.i.a ratione in mentis piſcina mo-
uear̄· Vel dic q̄ piſcina et quinq;
porticus.i.lex moyſi quinq; libroꝝ
nulluz potuit ſpũalr̄ ſanaꝛe· quo-
uſq; angelꝰ teſtamẽti xp̄c de celo
deſcẽderet· q̄ aquã huiꝰ piſcine ⁊
ſciẽtiã huiꝰ legis mouit expoſuit
⁊ ĩpleuit· Aggei ſcdo Mouebo ce-
lũ et t'rã· et tunc veniet deſideratꝰ
gẽ· ¶ F ¶ Vel dic q̄ iſta piſcina
eſt curia romana vel cuiuſlibet p̄-
lati ſpũalis vl' ſecularis q̄ dicitur
betſayda domꝰ frugũ.i.diuitiarũ
dicitur etiã domus pecudũ· q2 ibi
ſunt mlti homines beſtiales· Job·
xl· Omnes beſtie agri ludũt ibi· do-
mus venatoꝛuz q2 ibi ſunt multi
tẽpoꝛaliuz raptoꝛes p auaritiam ⁊
et terrenoꝝ venationi et acq̄ſitio-
ni vacãtes· Eze· xxxij· Ibi princi-
pes aquilonis omnes· et vniuer-
ſi venatoꝛes· In iſta ſunt mlti poꝛ-
ticus.i.multa officia dignitates ⁊
gradus· vbi quilibet cupit intraꝛe
et ſtatum obtinere· et mlti lãguẽ-
tes .i.ambitioſi beneficia affectan-
tes· multi ceci.i.ignoꝛãtes· multi
claudi.i.in moꝛib3 vacillãtes· ml'-
ti aridi.i.indeuoti et incõpatiẽtes
circunq; iacẽt ad ſubintrãdũ in

aquã ꝑer aliquẽ porticũ.i.in aliqd
beneficiũ· nec nõ ad ꝑueniẽdũ oẽs
ſtudẽt toto affectu· Jo· xx· Johã-
nes p̄currit citiꝰ petro et venit p̄-
oꝛ ad monumẽtum· Vñ quãdoq;
ſit q̄ quãdo p angelũ.i.p occultã
dei iuſticiam aqua humane fragi-
litatis mouer̄· vtpote quãdo aliq̄s
ep̄us l' bñficiatus moꝛit̄· ſtatim cur-
rit iſtoꝝ ãbicioſoꝝ mltitudo· q̄ in-
trare et ſe ĩgerẽ conãtur· ⁊ tñ da-
to q̄ õnes ſiml' currãt· oĩs ãbiãt
oĩs cupiãt· tamẽ vnꝰ tantũmõ
ꝓmouetur ſcꝫ q̄ ꝑus venit ad itrã-
dũ.i.munera offerẽdũ· ⁊ ſe p̄ alijs
citius ingerendo· ille primus reie-
ctis alijs recipit̄ et ſanat̄ .i. Coꝛ·
ix· Oĩs currũt ſ; vnꝰ accipit bra-
uiũ Sed qd' ꝓcerto quãdoq; ſunt
ibi aliq̄ q̄ neſciũt bñ currere· nec
ſe bene ingerẽ· nec hñt aliquẽ pro-
motoꝛẽ q̄ ipſos poſſit poꝛtaꝛe et ꝓ-
ponẽ· ſicut ad lr̄az ſũt boi ⁊ ſufficiẽ-
tes viri pauperes· q̄ reuera ſatis
poſſent motũ aque expectare· q̄a
diutiſſime opoꝛtet eos attẽdẽ et
lãguere· q2 ſi nõ habẽt poꝛtatoꝛez
vl' ꝓmotoꝛem neceſſe eſt ipſos re-
tro alios pauperes et languidos
manere· q̄ ante alios veniunt· et
qui ambicioſe ſe ingerunt· ſolent
omnia repoꝛtare· et maxime q̄ñ
poꝛtatoꝛum.i.fautoꝛum et adiuto-
rum ſeu prelatoꝛuz vel aſſidentiũ
magiſtroꝝ poſſunt auxiliũ ꝓcurã-
re· Dñe inq̄t hominẽ ñ habeo ⁊c·
Vñ q̄libet paup dicẽ pt illd· ps·
Non fuit qui adiuuaret et cõſiderã-
bã ad dexterã et videbã et nõ erãt
q̄ cognoſcẽret me· Vnde ñ tales a
xp̄o q̄ſi miraculoſe ſanẽt̄ ⁊ ꝓmoue-
ant̄ nũq̄ꝫ p cõẽz curſum in piſcina

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ecclĕ balneantur · ſed deiecti i exte
rius dimittuntur · vnde xp̄o dicit̄
ps̄ · Tibi derelictus ſuz pauper or
phāo tu eris adiutor eius · Vl' dic
ꝙ angelus eſt prelatus piſcine ec
cleſie ꝓpoſitus · ad quē cū omnes
currāt vt ſanētur . i . ꝓmoueantur
per ipſū · ille ſol⁹ ab ipſo portat re
mediū q̄ ꝑus venit ad obſequiū l'
qui habet mediatorem ꝓcuratorē
vel magiſtrū ·

Capitulū quartū · A

Adducitur ad dominum
per iudeos quedā muli
er in adulterio deph en
ſa · ill' ego ſciſcitātib⁹
q̄d de ipſa iudicaret · cum moyſes
huiuſmodi lapidari mandaret · ⁊
ex hoc ipſum cape volentibus vt
ſi diceret eam eſſe lapidandam cō
tra miſericordiā quā p̄dicabat fa
cere videretur · ſi vero ipſam di
mittendam aſſereret legis tranſ
greſſor haberetur · Jhūs remediā
do et vtraq̄ eorū temptatiuaꝫ ne
quiciaꝫ īcrepando inclinans ſe di
gito icepit i terrā ſcribere dicēs ·
qui ſine peccato eſt · ꝑmū in illam
ꝑus lapidem mittat · quo ꝯpleto
quilibet recedē cupiebat · ipſe v̄o
vt locū dar̄ exeundi iterum i ter
ram ſcribebat · Cum ergo ſecundo
ſcriberet · ōnes vn⁹ poſt aliū inci
pientes a ſenioribꝫ receſſerunt · ⁊
iheſuꝫ ſolū cū muliere ſtantē i me
dio reliquerunt · Jhūs aūt mulie
rem abſoluit · ⁊ eam ab ipſis libe
rauit dicens · nemo te cōdempna
uit? At illa · nemo dn̄e Nec ego te
cōdēpnabo vade ⁊ ā̄plius noli pec
cate · Jo · viii · Mor Iſta poſ
ſunt exēplarit allegari ad multa
ꝑmodo cautelas malignoꝝ qui ꝓ
ponunt hominib⁹ ꝓbleumata bi
cornuta · vt quocūq̄ ſe vertūt vel
reſpondeant in aliquo capiāt̄ · pru
dentes tamen viri ſciunt euadere
et mediam viam tenentes ſciunt
tales malicias in caput facienti
um retorquere · B Vl' alle
ga quō non decet ꝙ criminoſus cri
minoſum accuſet · et quō quilibꝫ
anteq̄ꝫ condempnet aliū debꝫ ſcꝑ
turā quā ſcripſit deus in terra ſue
conſciencie . i . ꝓꝑe ſinderiſis rmor
ſu legere · ⁊ ibi peccata ſua cogno
ſcere · Et ſic cum ſe videt maiora
vel ſimilia aliquociēs cōmiſiſſe · de
bet ab huiuſmodi vīdicatiua accu
ſatione ceſſare · Dicit̄ eīm ꝙ ī illa
ſcripturā quā in terra xp̄c ſcripſit
quilibet peccata ſua videbat · q̄b⁹
viſis continuo recedebat · Cum er
go dominus ſcripſerit in mente ⁊
in conſciētia cuiuſcunq̄ꝫ ſcripturaꝫ
indelibileꝫ ſcilicet conſciētie ſinde
reſim et remorſum · conſtat ꝙ ſi e
am bene legerimus et peccata no
ſtra bene ponderauerimus · ſtatim
videbimus nos indignos ad alios
iudicandum et ad male de aliis
opinandum · ⁊ ſic de talibus accu
ſationibus et iudiciis quieſcem⁹
et ad noſtri conſiderationē poti⁹ r̄
cedem⁹ dicētes · Qui ſine peccato
ē ꝑmū ⁊c̄ · ac ſi dicēt Nō decꝫ pec
cātes alios accuſarē · ſed poti⁹ ſe caſti
garē · Mat · vii · Quō vides feſtucā
in oculo fratris tui · trabeꝫ auteꝫ
in oculo tuo non conſideras · C
Vel illud allega ꝙ xp̄c fecit ſc̄do
ſcribēs vt locū recedēdi daret · ꝑt

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

allegari quomodo prudens iudex
debet multa diſſimulare · et ſub co
lore vnius aliud intendere · vt in
tentum ſuum poſſit melius habē
Vel allega de miſericordia ſaluato
ris qui non vult mulierem pecca
tricem .i. animam perire · ſed ipſā ab
accuſationibus .i. demonibꝫ et temp
tationibꝫ liberare · et cuncta crimina
relaxare Nunquid voluntatis mee
eſt mors impij dicit dn̄s deꝰ · et nō
conuertatur a vijs ſuis et viuat · Eze-
xviii · Vel illud qđ dicitur ꝙ a ſe
nioribꝫ recedere cepe͞rt allega ꝙ ſe
niores quandoqꝫ ſunt peiores ceteris
et qui alios iudicant ſi bene exami
narent reperirent ceteris neq̄ores

¶ Capitulum quintū · ‖ A

Chriſtus preteriens vidit
hominē cecū a natiui
tate · quē volens illu͞i
nare · lutū fecit ex ſpu
to et liniuit oculos eius · et dixit
vade et lauare in natatoria ſiloe ·
qđ interpretatur miſſus : abijt ergo
et lauit et recuperato viſu rediit ·
quē tandem dei mirabilia recitantē
iudei de ſinagoga eiecerunt . chriſtus
vero ipſum recepit · vt habetur · Jo
ix · De iſta natatoria que miſſus in
terpretatur · dicit tā epiphanius
ꝙ̄ comeſtor · ꝙ cum manaſſes rex
iuda · yſaiam ꝓphetā ſecari ſerra
lignea faceret · et vltra modū idē
yſaias ſitiret · aquā a miniſtris poſtu
lauit quam ab eis ſibi negatam
ſtatim in os eius celitꝰ deꝰ miſit
et ex tunc fons ibidē apparuit · qui
tandē cum reedificaretur ciuitas in
fra muros fuit poſitus · et ſic ſyloe

.i. miſſus ꝓpter aquā miſſā deſup
fuit dictus · ‖ Allego ¶ Cecus a
natiuitate ſignat genus humanū
qđ a mūdi exordio fuit cecum · et
per peccatū in adā excecatū et lu͞i
ne diuine gratie ſpoliatū · Finali
ter tamen deus oculis ſue miſeri
cordie cecum hūc videns · ſaliuam
ſuam ab ipſo emiſſam .i. ꝓpriū filiū
puluere noſtre humanitatis admix
it · et quoddam lutū .i. quoddam mixtu
ram criſtum deū et hoīnē inde cō
poſuit quo et cuiꝰ fide oculos mē
tales humani generis · oculos ſcꝫ
ceci liniuit et ipſū lauari in nata
toria ſyloe .i. aqua baptiſmatis iuſ
ſit · ꝙ ſic viſū vere diſcretionis rece
pit et lumē diuine gratie clare vidit
Vnde infra in eodē · lutū poſuit ſu
per oculos meos laui et video · ‖
B ¶ Vel dic ꝙ xp̄c ſignat p̄dica
torem vel p̄latū · q̄ quū videt aliquē
cecū .i. peccatorē excecatū vitijs an
te omnia debet ſputo .i. verbali do
ctrina ſua · lutum .i. memoriā ſue
nature lutee ſibi facere · et luto .i.
memoria ſue vilitatis et mortis ·
debet oculos ſue mentis linire · Tā
dem debet facere ꝙ in aqua ſyloe
.i. in fonte lacrimarum qui celitus
mittitur ſe abluat · vt ſic lumē di
uine gratie acquirat · Tunc ille pt
dicere qđ ſequitur Jlle homo qui
dicitur iheſus lutum fecit et vnx
it oculos meos et video · ‖ C

Cum peterent diſcipuli de ce
co nato · Quis peccauit · hic
an parētes eius vt cecꝰ naſceretur? re
ſpondit xp̄c · Neqꝫ hic neqꝫ parētes
eiꝰ peccauerūt · ſed vt manifeſta
rentur opa dei in illo · ‖ Moraliter
¶ Hoc poteſt allegari quomodo deꝰ

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

vtitur creaturā ſua quādoqꝫ ad mi
ſeriam vel ad penam vt eliciat ex
inde ſuaꝫ gloriā et honorē · nec ip
ſa creatura de hoc poteſt cōqueri ·
q̄ ſcꝫ factori licet facturā ſua quo
cunqꝫ modo voluerit vti · ſicut con
cludit apoſtolus · Ro · ix · ꝙ figu
lus facit vas quoddā in honoreꝫ
et aliud in cōtumeliā de eadē maſ
ſa luti vt in vno ſua miſericordia
in alio ſua iuſticia valeat declara
ri · Je · xviii · Sicut lutū i manu fi
guli ſic vos domus iſrl̄ in manu
mea · ¶ D

HOc qđ dixerūt ceco illumina
to quando cōmēdabat xp̄m ·
in peccatis natus es totus et tu do
ces nos · Hoc poteſt allegari quō
arrogātes ab alijs ꝯ maxīe a pau
peribus doceri nolūt · ſed ſe ipſos
meliores exiſtimant · ꝯ q̄cquid ra
tione dixerint vilipendūt · vn̄ ipi
videtur dicē illđ qđ amici iob ſibi
dicebāt · Job · xv · Quid noſti qđ
ignoremus · quid intelligis quod
neſciamus? Eccle · xiii · Pauper lo
cutus eſt et dicunt quis eſt hic

¶ Capitulum ſextū · ¶ A

QVm xp̄c in bethania ve
niſſet ad lazarū mortu
ū ꝯ iam per quatuor di
es in ſepulchro iacentē
et fetē inapiētēꝫ et i ſpelūca lapi
de ſuperpoſito latitātēꝫ iueniſſet ·
exoratus a martha ad ſepulchruꝫ
venit · flēs et exorās lazaruꝫ de ſe
pulchro vocauit dicens · lazarē ve
ni foras et ſtatim q̄ erat mortuus
reſurrexit et ligatus pedib9 et ma
nibus inſtitis et velata facie ſuda
rio ꝓdijt · Quē ihūs ſolui p̄cipiēs
liberū abire permiſit dicens Solui
te eum et ſinite abire · ¶ Mor ¶
Per lazarū poteſt peccator itelligi
et non ſolum q̄cunqꝫ peccator · ſed
maxime ille qui per ꝯſenſū ē mor
tuus et per malam cōſuetudinem
ſepultus · et i ſpelūca ꝓfunde iniq̄
tatis lapide durē obſtinatiōis op
p̄ſſ9 et hoc per quatuor dies · quo
rū p̄mus eſt mala delectatio · ſcđ9
malus cōſēſus · tcius mala opera
tio · quartus mala ꝯſuetudo · iam
per malam famam fetidus et i fē
ctus · vinculis malaruꝫ cōplacētiā
rū ligatus · et ſudario malē execu
tionis velatus · p̄s · Sicut mortui
dormientes in ſepulchro · quoruꝫ
non eſt memor amplius · ꝯ ipſi de
manu tua repulſi ſunt · Sed reue
re quandoqꝫ fit ex ſpeciali gratia
ꝙ tales deus a peccato ſuſcitat et
eos miraculoſe liberāt dicens · laza
re veni foras · Bene igitur tal' la
zarus qui interpretatur a domino
adiutus nūcupatur · ꝓ eo ꝙ ſine
ſpeciali dei adiutorio nulli tales a
peccato reſurgere dimoſcūt · Ephe
v · Surge q̄ dormis exſurge a mor
tuis ꝛc̄ · Quando enim deo placet
hominem vocare et a peccato conū
tere nullum eſt a deo ꝓfunduꝫ vi
tiorum ſepulchrum qđ reſurrectio
nē .i. cōuerſionē ipſi9 valeat īpedire
p̄s · Saluaſti me a deſcēdentibus i
lacū Verūptn̄ ecia ſinē iſti9 ſuſci
tatiōis ihūs legitur fremuiſſe et
fleuiſſe qđ tn̄ i ſuſcitatione adole
ſcētis · Lu · vii · et puelle · Mat · ix
nō legit̄ feciſſe · In q̄ nota ꝙ dif
ficilior eſt conuerſio ꝓfūdi peccato
ris et illius qui iam per malam

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

conſuetudine eſt ſepultus · et per
infamiā fetidus · q̄ꝛ illi⁹ q̄ recēnt
eſt mortuus · et q̄ de nouo ī pecca
tum eſt lapſus · Lazarus em̄ dato
ꝙ ſuſcitat⁹ fuiſſet · ligat⁹ tn̄ ⁊ ve
latus exijt quouſq̄ iā viuū ipſum
dn̄s ſoluit ī quo notatur · ꝙ dato
ꝙ peccator p̄ cōtrīcionē motus ſuſci
tetur · et viu⁹ ī ſtatū gratie cōſti
tuatᷓ · adhuc tamē eſſe ligat⁹ .i. ad
cōfeſſionē eſſe obligat⁹ dmōſtrā
vt neceſſe ſit ꝙ p̄ confeſſionē et ab
ſolutionē ſoluatᷓ · ad hoc ꝙ perfect⁹
liberetur · ſup̄ · Luce · xix · Soluite
eū et adducite michi · Sola em̄ cō
tricio hōiem viuificat · verū tn̄ ē ꝙ
cōfeſſio et abſolutio vinculū obli
gatiōis tollāt · ne forte ſi contēpſe
rit in idipſū cadat et relabatᷓ ·

Capitulū ſeptimū · A

PEtrus et iohānes venē
rūt ad monumentum
xp̄i · ſed cū currerēt du
o ſimul .i. iohānes q̄ erāt
petro iunior p̄cucurrit cicius et venit
prior ad monumētū · verūptn̄ non
intrauit · petr⁹ aūt q̄ erāt antiquior
venit ad monumentuꝫ vltim⁹ tn̄
pri⁹s itrauit · Joh · xx · Nota
Hic poteſt notari ꝙ q̄dam ardēn
ti⁹ et celeri⁹ volūt ad xp̄m p̄ bō o
pera recurrē · vt ſūt indiſcreti iuue
nes in religiōe vl' ī ſtudio · q̄ ōmā
credūt facē p̄mo anno · q̄ nō me
ciūtur vires ſuas · ſ; petro .i. antiq̄
oribus ſe p̄ferre conantur · iſti tn̄
tardius ad xp̄m intrāt · et tardi⁹
accipiunt q̄d affectāt · q; curſū cō
tinuaē nequeūt · ⁊ neceſſe ē ꝙ an
te tēpus deficiant ad · Gala · v ·
Currebatis bene · q̄s vos īpediuit
Qui moē petri deliberate p̄cedūt
et q̄ non impetuoſe ſed matuē p̄
bona opera currūt · vt q̄ viā dnī
neꝫ ſequūtur qui v̄tutes ſuas me
tientes ſe p̄mo impetu leuaē non
querūt · iſti dico intrādo ad deum
⁊ cōſequendo propoſitum alios p̄
ueniunt · et alijs deficientibus ip
ſi viriliter p̄ſiſtunt Inquocūq; er
go negocio tam morali q̄ꝫ agibili
illi q̄ tarde et deliberate operantur
currunt melius · ⁊ cicius ꝯſequūtᷓ
finē intētū Econtra q̄ p̄mo impetu
oſi⁹ volūt bn̄ facē tardi⁹ cōſequū
tur et ſuccūbunt · bene ergo nob̄ ꝯ
ſulitur .i. Corinthio · ix · Sic currite
vt cōprehendatis Subſtantia eniꝫ
feſtinata minuetur · que aūt pau
latim colligitur manu multiplicatᷓ
Prouḃ · xiii · B Vl' dic ꝙ
iohannes ſignat populū iudaicuꝫ
qui primo venit ad monumentū
xp̄i .i. ad fidem · qui in gēte ſua p̄
mo credidit · tamen non intrauit
quia eccleſiam et fidem incarnati
onis recipe noluit · ſed potius per
incredulitatis vitium extra man
ſit · petrus vero ſignat populū gē
tium · qui tardus ad monumentū
xp̄i .i. ad fidem venit · et tamē iſte
prius credendo eccleſiam ītrauit
inquantum iudaico populo in infi
delitate manente iſte finaliter cre
didit · Tamen iohannes poſt pe
trum intraſſe dicitur · quia iudai
cus populus poſtq̄ꝫ plenitudo gen
tiū intrauerit ſaluus fiet · ⁊ ī fine
temporum criſto credet · et ſic ve
rificatur · illud · Mathe · viceſimo
Nō erūt nouiſſimi p̄mi et p̄mi no
uiſſimi · C

Marie flenti ad monumentũ
legitur dominus in ortulani
ſpecie ꝑmit9 appuiſſe· deīde diſci
pulis in vnum congregatis· et ꝓp
ter metum iudeorum ianuis clau
ſis xp̄c apparuit et pacē ante oīa
eis obtulit· deinde ſpiritū ſanctū
eis ꝯtulit· et poteſtatem relaxan
di crimina dedit· veniēs inq̄t ih̄us
ianuis clauſis dixit· pax vob̄ acci
pite ſpiritū ſcꝫ ⁊c̄· ‖ Mor ¶ Iſtd
ſi vis allega· ꝙ xp̄c ſp̄ualiter ſolꝫ
apperere et graꝫ daē illis q̄ flēt ad
monumentū ſuū.i.illis q̄ paſſioni
⁊ morti ipſi9 cōpatiūt̄ q̄ i vnū per
caritatē ꝯgregāt̄· ⁊ q̄ ianuis clau
ſis ſcꝫ ſēſuū exterioꝝ i ſecreto mē
tis verſantur et a mūdanis nego
cijs ſegregātur· Talibus pax in
terioris tranquillitatis offert̄· ⁊
ſp̄us ſcūs.i.dona ſp̄us ſancti con
ceduntur· Tales ſunt ad quos cri
ſtus per graꝫ venire dinoſcitur·
et ad eos intrare ſp̄ualiter inueni
tur· T\[a\]les digni ſūt vt p ipos alie
na pecc̄a remittant̄.i.ꝙ ad ḡdū ec
cleſiaſticū ſublimāt̄· Null9 em̄ pa
cē aīmi p̄t accipe n̄ q̄ ianuis ſēſu
um et affectōnū clauſis ſe a mūdi
negocijs voluerit abſētaē· vn̄ ſeq̄
tur ꝙ iterū veīt ih̄us ianuis clau
ſis et ſtetit ī medio diſcipulorū ſu
orū et dixit pax vob̄. Vl' dic ꝙ qn̄
xp̄c ianuis vteri v̄ginalis clauſis
in mundum ad diſcipulos p nati
uitatem venit· tūc pacem homini
bus dedit et pacem inter deum ⁊
hominem reformauit· Luc· ij· Et i
terra pax hominibus bone volun
tatis· Illud q̄d ponitur de thoma
qui noluit credere dictis et ver
bis aliorum diſcipulorum et apo
ſtolorum c̄ſtum reſuſcitatum niſi
oculis videret et palparet maibꝫ
Hoc exponitur a gregorio· ꝙ de9
aliquādo ſāctos ſuos ſcrupulo du
bitationis erga dīna miſteria per
cutit· vt facta indagine veritas ē
luceſcat clarius· et p ꝓbationē e
licitā illd̄ de quo dubiuꝫ fuerāt no
tuꝫ fiat· q̄ſi dicēt ꝙ thomas dubi
tando cicatrices vulnerū tetigit ⁊
dubietatis vulnus a fidelīū menti
bus āputauit· Vel dic cōtra quoſ
dā q̄ nō curāt de auditu ſ̄ de viſu
et tactu· nō curāt enim de verba
li ꝓmiſſione ſed poti9 de manuali
oblatione· et de munerū manuali
tactu et palpatione· n̄ tetigero in
q̄t non credā.i.n̄ accepēo nō faciā
Gen̄· xxvij· Accede ad me vt tan
gā te fili mi· et ꝓbem ſi tu es fili9
meus eſau·

¶ Capl'm octauū ‖ A

Cum diſcipuli piſcaren
tur et nocte illa nichil
prēdidiſſent· mane fa
cto affuit dn̄s in litto
re ſub ſpecie aliena· ⁊ p̄cepit illis
ꝙ rethe in dexteram nauigij mit
terent· Quod cum feciſſent· iaꝫ
non valebant rethe trahere pre
multitudine piſcium qui tunc tē
poris capti erant· Cognito ergo
ꝙ ihesus eſſet petrus tunica ſuccin
ctus miſit ſe in mare· ⁊ alijs naui
gio venientib9 ipſe per marē ad do
minū venit· et tandem tracto re
thi pleno magnis piſcibus ſcilicꝫ

centū et quīquagīta t̄bus diſcipu
lis · xp̄c panem et piſces ad comē
dendum diuiſit · Johā · xxi · ||
Mor ¶ Jſta allega q̄ apoſtoli .i.
predicatores q̄diu ſine ē ſto .i. ſine
xp̄i grā ſunt · tam diu michil prē
dunt · et rethe predicationis ꝓ ni
chilo in ſeculi marē ponunt · Quia
nullos piſces .i. nullos fluxibiles
peccatores capiunt aut cōuertūt ·
et potiſſime de nocte .i. quādo ſine
lumine diuine gratie predicant a
piſcantur · Et quando ad ſiniſtraꝫ
nauigāt .i. ſub ſpe bonorū terreno
rum · vel glorie temporalis que ꝑ
ſiniſtrā intelligitur rethe predica
tionis ſue mittere noſcūtur · Sed
quando xp̄c per gratiam vult eis
adeſſe · et ad eius inſtinctū ad dex
teraꝫ nauigāt .i. in ſpem eterne re
t̄buitionis rethe p̄dicationis noue
rint ponere · et ad volūtateꝫ ſuper
nam omnia ordinare · tunc habū
danter piſces capiuntur et pecca
tores conuertūtur · Jgitur ad dex
teram eſt ponēdū rethe · p̄ſente do
mino et non abſente · cuiꝰ cōtra
rium multi predicatores faciunt
q̄ ſolum ad laudem humanā pre
dicant · et ſic ad ſiniſtrā nō ad dex
terā rethe ponūt · Prou · iii · Cor
ſapiētis in dextera eius ſtulti in
ſiniſtra · || B ¶ Vel dic q̄ pe
trꝰ et q̄libet iuſtꝰ debet tunicā ho
neſte cōuerſationis ſibi ſuccingē ·
et ſe in mari penitentie ponere · et
ad ihēſuꝫ q̄ eſt in littore paradyſi ꝑ
bona opa venire et ab ipſo pran
dium eterne refectionis recipere
Luce · xiiij · Ecce prādium paraui ve
nite ¶ Vl' dic q̄ iſta ad cōmēdatio
nem fidei petri dicitur · qui ꝑ na

uem venire noluit · ſꝫ in mari ſe po
ſuit · et ſic ſuper aquas vl' ſaltē ꝑ
aquas iuit || C

Hic ſequitur de petro cui ter
dixit dominꝰ petre amas me
paſce oues meas · i q̄ dicūt petri
t̄plicē negatioēꝫ purgatā Fit etiā
hic mētio de p̄matu eccleſie dato
petro et etiā de morte eius · De io
hāne euāgeliſta · de modo ſui deceſ
ſus inq̄ntū de eo dicit xp̄c · Sic eū
volo manere donec veniā · de quo
ita exijt ſermo et opinio int̄ frēs
q̄ diſcipulus ille non moritur .i.
q̄ mori nō debebat ac̄ Jgitur iſta
ad cōmendationē petri et iohānis
poſſunt adduci · ſed de hijs ōibꝰ
ad preſens omittamus

¶ Expliciūt · Moraliſationes ſup
Johānē ¶ Jncipiunt · Moraliſatio
nes ſuper actus Apoſtolorū ·

¶ Capitulum p̄mum · || A

D
E actibꝫ
apoſtolo
ruꝫ pau
ca ſī bre
uitate
tranſcur
ro et pau
ca de mt̄
tis acci
piens ad finē opis iā fatigatus
accelero · ideo de iuda p̄ditore et
ſuſpenſiōe eiꝰ · vide ſup̄ · Math ·
xxvij · Jllud aūt q̄d hic dicit · ca · p̄
mo q̄ xp̄c dixit diſcipul' de futuro
tēpore querētibꝫ Nō ē vēſtrum noſcē
tpa q̄ pat' poſuit i ſua poteſtatē ·
Hoc p̄t allegāi q̄ xp̄i diſcipulos

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf